Sic cristus ueniens in carnis nube repleuit
Orbem terrarum muneris ymbre sui
Ex lingua decies septem populo uenientum
Qui datus est moysi spiritus ipse datur.
Est quartus decimus locus in quo murmurat aaron
Soror in moysem cui noua sponsa datur
Post illud murmur perfudit lepra mariam
Quam per septenos sustinet illa dies.
Sic uelud in cristum quam de gentibus orta
Colligit ecclesiam murmur hebreus habet.
Hec lauat hanc aliquis tunc lepra nisi sanctus
Spiritus in finem cum synagoga redit.
Rethma locum quintum decimum post init hebreus
Quod nomen sonitus iuniperus ue sonat.
Si prunas ligni cuius obtegat hus ad annum
Has durasse ferunt nec perit ille calor.
Te docet hic ut sis mentis feruore calescens
Et claro sonitu uerba benigna feras.
Ex ista donec ueniat tricena secunda
Mansio res uarias colligit iste liber.
Quas quia diuersas non per loca singula cerno
In commune loquar id quod habetur ibi.
De duodecim iuuenibus missis in orbe terrarum.
Ad sanctam mittuntur humum pueri duodeni
Qui terrent populum dum redeunt suum.
In ligno pendet botrus depingitur istic
Christi pendentis in cruce sancta caro.
Murmura uulgus agit formidans bella gigantum
Diffidens animo deficiens que sibi
Bella mouet nolente deo contra cananeum
Vincitur idulat que sacra uiue colat.
Sabbata contempnens hic ligna legens lapidatur
Cum multis abyron terra dathan que uorat.
Inter defunctos uiuos cum pace presul
Stans medius placat thuris odore deum.
Aaron uirga parit fructus cum flore parit.
De uitula rufa uictima grata datur.
Hystoria succincte transactis a duodenis
Principium sumat littera nostra uiuis
Hii signant scribas qui scripta prophetica norunt
Credere presenti nec meruere deo.
Sancta fuit tellus preclare uirginis aluus
Que uite fructum mirificum que tulit.
Terruerant moysi legatum uulgus ut hoste
Se non speraret uincere posse suos.
Sic scribe turbe turbantes corda mouebant
Illam ne cristum crederet esse deum.

License: public_domain – Toronto, ON, The Robertson Davies Library at Massey College, Gurney FF 0001, Verso – Aurora in Latin (https://fragmentarium.ms/view/page/F-3f4b/10237/75327)